
L e p o r i s d e n t e s m o n s t r o s i,

d e s c r i p t i

a

Carolo Petro Thunberg.

Abberrationes a consueto Naturae ordine obveniunt in toto organico et vivo Orbe, et monstrositates sese ostendunt majores vel minores, pro gradu impedimentorum atque obstaculorum, quae tam Animalia, quam Vegetabilia, sub naturali sua explicacione experiri solent. Duo itaque — Animalia concrescere, plures eorum partes desicere, aliae — duplicari possunt. Millia ejusmodi exempla et phaenomena apud Antores occurunt, observata, notata et descripta, semper admiranda et lucis non parum Physiologiae humanae subuinstantia. Praeteritorum duorum seculorum in lucem edita Acta scientiarum imprimis ejusmodi exemplis — ditata sunt in scientiarum augmentum et utilitatem sumimam humani generis.

Ante aliquot abhinc annos ad me misit carissimus olim Discipulus Cranium Leporis, in provincia Smolandia occisi, cuius dentes incisores, extra omnem modum — exereti, longi et monstrosi, et quidem in utraque maxilla, superiori et inferiori, sic ut dentes Elefantis eburneos referrent, et ut mihi obvenerit omnino incredibile, quomodo Animalculum hocce, e Glirium ordine, rodendo vegetabilia, nutrire — sese potuerit. Animal dudum erat occisum, dum cranium fuit oblatum, sic ut nullae in vivo objecto institui potuerint, Observationes.

Species est *Leporis timidus* Linnaei, in Fauna suecica descripti, sive *Leporis variabilis* Auctorum, quae quidem species aestate cinereo colore, hieme niveo varians, omnium vulgarissima in succiae omnibus provinciis occurrit.

Descriptionem et delineationem monstrosorum horum dentium incisorum in utraque maxilla heic communico, ut inde appareat, quo usque deformari potuerunt instrumenta illa cibaria, quae ad nutrimentum e corticibus et herbis capiendum maxime necessaria, adeoque huic fini apta esse deberent.

Incisores, qui in omni Glirium ordine numero duo, et figura truncata ac lata sunt, heic in maxilla inferiori valde exereti obveniunt, in longitudinem duorum pollicum, porrecti extra oris labia, sensim versus apicem curvati et sursum flexi, ac secundum totam longitudinem fere exacte tetragoni; in maxilla superiori, breviores sunt, vix pollicis longitudine, multo magis curvati, et versus inferiora, ac simul oblique ad sinistrum flexi, in basi approximati, in apice divaricati.

Simul vero observatur circumstantia, scilicet, quod praeter hos maxillae superioris dentes ordinarios primores seu incisores, jam descriptos, et in alveolis suis insertos, simul inveniantur in latere inferiore et in diversis parvis loveolis duo alii dentes, duplo breviores, et tenuiores, omnino fere recti et acuti, quorum sinister — non nihil brevior deprehenditur.

Ad ligna et cortices arborum rodendos, vel etiam ad herbas et graunina abscindenda, monstrosi hi dentes minime apti vel idonei videntur; sic ut sine magna difficultate alimento suo necessario frui non potuerit infelix animaleculum. Nec facile dictu erit, quaenam fuerit causa singularis hujus, sensim per longius sine dubio temporis, forsitan plurium annorum spatium incrementalis abnormitatis.

Figurae adjectae omnes partes cranii et dentium monstrant naturali sua magnitudine depictas. Nr. 1 et 2. singulam maxillam, Nr. 5. cranium integrum, quod jam, conservatur in Museo Regiae Institutionis chirurgicae Stockholmensis.

Nr. 1. maxilla superior.

2. — — inferior.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Denkschriften der Akademie der Wissenschaften München](#)

Jahr/Year: 1824

Band/Volume: [09](#)

Autor(en)/Author(s): Thunberg Carolo Pedro [Carl Peter]

Artikel/Article: [Leporis dentes monstrosi 185-186](#)